



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

214. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex eodem.*

Concil. Tri-
bur. c. 43.
Burchard. lib.
17. c. 14.

C C X I. Si frater cum muliere fornicatus fuerit, & frater nesciens cum eadem concubuerit, mulier diebus vitæ suæ pœnitentia posse pœnitentiam autem frater ignarus sceleris conjugium accipiat, si vult. [*Vide Concilium Compendiense sub Pippino cap. 8. & lib. 5. C. pitular. c. 19.*]

De separatione. *Ex Concilio ad Vermeriam temporibus Pippini.*

Concil. Ver-
mer. c. 1.
Concil. Com-
pend. c. 1.

C C X I I. In tertio geniculo separantur. In quarta autem conjugatione si inventi fuerint, non eos separamus, sed pœnitentiam eis indicimus. Et tamen si factum non fuerit, nullam facultatem conjungendi in quarta generazione damus.

De eadem re. *Ex eodem.*

Concil. Ver-
mer. c. 2.

C C X I I I. Si aliquis cum filiastra sua manet, nec matrem nec filiam ipsius potest habere, nec illa nec ille aliis se poterunt conjugare ullo unquam tempore. Attamen uxor ejus, si ita voluerit, si se continere non potest, si postea quam cognovit quod cum filia sua vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habeat, si vult potest alij nubere.

De eadem re. *Ex eodem.*

Concil. Ver-
mer. c. 10.
Burchard. lib.
17. c. 11.

C C X I V. Si quis cum noverca sua dormierit, neutquam possunt ad conjugium pervenire. Si vir ejus sic vult, potest aliam accipere, si se continere non potest. Similiter qui-

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 295
cum filiastra sua vel cum sorore uxoris dor-
mierit, stare potest.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCXV. Qui dormierit cum duabus foro-
ribus, & una ex illis antea uxor fuerit, nullam
ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri unquam con-
jugio copulentur.

Concil. Ver-
mer. c. 12.
Burchard. lib.
17. c. 3.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCXVI. Si quis cum uxore fratri sui
dormierit, adulter & mœcha diebus vitæ suæ
absque conjugio maneant. Ille verò cui uxor
fuit, si vult, aliam conjugem accipiat.

Concil. Com-
pend. c. 8.
Burchard. lib.
17. c. 17.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCXVII. Si quis sponsam filij sui op-
presserit, & postea filius ejus eam duxerit, pa-
ter postmodum non habeat uxorem, nec ipsa
mulier virum. Filius, qui facinus patris igno-
ravit, aliam accipiat.

Concil. Com-
pend. c. 10.
Lib. 5. Capi-
tular. c. 5.
Burchard. lib.
17. c. 18.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCXVIII. Si quis filiastrum aut filia-
stram suam ante Episcopum ad confirmatio-
nem tenuerit, separetur ab uxore sua, & aliam
nunquam accipiat. Similiter & mulier.

Burchard. lib.
17. c. 22.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCXIX. Si quis cum matre & filia forni-
catus est, ignorante matre de filia, & filia de
matre, ille nunquam accipiat uxorem. Illæ ve-
ro, si volunt, accipient maritos. Si autem hoc
scierint ipsæ feminæ, absque maritis in perpe-
tuo maneant.

Concil. Com-
pend. c. 14.
Burchard. lib.
17. c. 12.